

Jus canonicum statuit quidem ut, in pœnam simoniæ, pecunia in usus pios impendatur; sed controvertitur utrum id fieri debeat post sententiam judicis ecclesiastici tantum, vel etiam ante sententiam. Hinc POLYBI Confessarius, potuit quidem pœnitenti suadere ut pecuniam simoniace acceptam in Ecclesiam aut in causas pias impenderet, potius quam domino restitueret, non vero id præscribere.

CASUS XX.

DE SIMONIA 3^o.

EVODIUS, Parochus, ætate grandævus, statuit beneficium suum JULIANO, fratris sui filio, resignare, sed cum onere ut JULIANUS sibi ad dies vitæ certam pensionem ex beneficii fructibus annuatim solveret. Peracta hujusmodi conventionem, Evodius in manus Episcopi parochiam suam resignavit, simul eum humillime supplicando ut parochiam hanc JULIANO, fratris sui filio, conferre dignaretur. Episcopus, tum intuitu meritorum Evodii, tum etiam intuitu JULIANI ipsius, egregiis dotibus insignis, libenter annuit, nihil tamen sciens de pacto quo prius Parochus senex et junior Sacerdos inter se convenerant.

HINC :

QUÆR. 1^o An EVODIUS simoniam commiserit?

2^o Quid de valore hujus resignationis tenendum?

SOLUTIO :

291. — R. ad 1^m Quæst. Affirmative; excusari enim nequit EVODIUS a labe simoniæ juris humani, ut constat ex variis locis Juris canonici, in quibus interduntur expresse omnes conventiones privatæ circa beneficia ecclesiastica, aut præbendas.

Objicies : In hoc casu nullum pactum simoniacum prorsus intervenit; sed EVODIUS duntaxat beneficium suum valde pingue resignavit JULIANO, reservato sibi jure ad nonnullos fructus ex eodem beneficio percipiendos. R. Jus ad fructus beneficii percipiendos inseparabile est ab ipso beneficio, ita ut sola auctoritate Summi Pontificis, vel Episcopi in quibusdam circumstantiis, separari possit. Ergo EVODIUS volens resignare beneficium, debuit pariter resignare jus ad fructus ex eo percipiendos. Igitur, cum resignatio facta fuerit privata auctoritate, ex pacto inter utrumque Sacerdotem inito, uterque simoniæ labem contraxit. — *Henno*. — *Elbel*, n. 647-648.

292. R. ad 2^m Quæst. Prædicta resignatio fuit prorsus nulla et invalida. Etenim hæc resignatio fuit simoniaca, siquidem conventio auctoritate privata habita est circa beneficium transferendum : ergo pœnas simoniacorum post se trahere debet; atqui inter pœnas simoniacorum numeratur nullitas actus, et inhabilitas ad beneficium saltem idem obtinendum. Ergo hæc resignatio nulla fuit. Similiter nulla fuit collatio facta ab Episcopo, utpote facta subjecto de jure incapaci et inhabili. *Elbel*, n. 649. — *Lacroix*, l. 4, n. 948. Si tamen ab Episcopo vel Summo Pontifice postulatum fuisset ut Parochus, annis gravi, aliquid, uti mos est, tribueretur, eorum præcedens tractatus culpabilis non esset, quia conditio adderetur : *si Superiori placebit*.

CASUS

DE SECUNDO PRÆCEPTO DECALOGI

SEU

De vana usurpatione SS. Nominis Dei. De juramento, et adjuratione. De voto; seu de ejus valore, obligatione, cessatione, dispensatione, irritatione, et commutatione.

CASUS I.

DE BLASPHEMIA.

Et vana usurpatione SS. Nominis Dei.

COCLES, auriga, confitendo se accusat quod sæpius contra equos lentius procedentes blasphemaverit, et etiam pluries contra homines sibi molestos. Interrogat Confessarius, quænam fuerint blasphemiarum. Respondet se frequenter exclamasse; O Deus! Deus Dei! nomen Dei! nomen nominis! (*nom de nom*) mille nomina! *sacrum* nomen! Frequenter etiam, pergit, *sacravi* equos, homines, creaturas etiam inanimatas, et interdum *sacravi* ipsum Dei nomen; id est, dixi : *sacri* equi, etc..., *sacrum*-nomen Dei. Sed, ait, non Deo impropere, sed equos tantum stimulare, vel homines objurgare, et similia intendi.

HINC :

QUÆR. 1^o An COCLES peccaverit et blasphemaverit usurpando varias formulas, secluso Dei nomine?

2^o Quid si nomen Dei interveniat, absque verbo *sacrum*, aut vice versa?

3^o An blasphemaverit sacrandum, ut aiunt, Dei nomen?

4^o An excusari possit a peccato mortali, ex eo quod non intenderit Deo impropere?

SOLUTIO :

293. — R. ad 1^m Quæst. Neg. Illæ enim formulæ quæcumque sint, in quibus nomen Dei non intervenit, non sunt graviter Deo injuriosæ, sed meræ formulæ vel locutiones, ad indignationem in homines, vel jumenta, vel etiam res inanimatas prolata.

R. ad 2^m Quæst. Neque hæc communiter inter blasphemias recensentur, sed sunt tantum locutiones ad creaturas directæ, aut vana usurpatio nominis Dei, quod veniale non excedit.

294. — R. ad 3^m Quæst. *Sacrare nomen Dei*, ut aiunt, quod adeo frequenter accidit in Gallia, seu conjungere verbum *sacrum* cum sanctissimo Dei nomine, a peccato gravi blasphemiarum excusari non potest, *materialiter* loquendo, seu *per se*. Ratio est, quia, ex usu recepto, vox *sacrum*, in hoc

casu, significat *maledictum*. Etenim qui hæc verba proferunt nunquam honorare Deum intendunt, cum plerumque in ira, indignatione, execratione, vel in joco, absque ullo pietatis sensu, illa adhibeant. Sed si hæc in Dei honorem non cedunt, in ejus contumeliam cedere debent. Sic enim *augustissimum Dei nomen* contemnitur. Insuper quænam sunt aures, etiam mediocriter piæ, quæ, talia audiendo, non graviter offendantur, et non inhorrescant? Præterea, in locis innumeris Galliæ instituuntur piæ sodalitates, ad orandum ut lues ingens blasphemiarum, quæ undique grassatur, finem habeat; sed, si prædicta formula blasphematoria non sit, vix aliæ blasphemiam in Gallico territorio reperiuntur. *Bouvier*, etc., contra *Gousset*.

295. — *R. ad 4^m Quæst.* Excusari nequit *Cocles*, *per se*, ex eo quod Deo impropere non intenderit: etenim verba blasphematoria usurpare, est eo ipso velle Deo implicate saltem impropere. Fatendum est tamen, in praxi sæpe a mortali peccato excusari illos qui verbis blasphemis utuntur, sive ob inadvertentiam, sive propter bonam fidem, etc. *V. Comp. n. 300 et seq.*

CASUS II.

DE JURAMENTO 1^o.

CNEIUS, mercator, merces suas emptoribus extollere solet, et ubi advertit suis dictis non adhiberi fidem, ad illam sibi conciliandam sequentibus utitur formulis: *Juro ita esse; — coram Deo loquor; tam verum est, quam vere vivo, et quam Deus ipse est; — per meam conscientiam; Deus scit quod non mentior, illæ merces non sunt vitiatæ, et tanto pretio mihi constant; — juro in conspectu cæli, coram Deo, coram Beata Virgine, coram cælibus; — per meam fidem, per meam animam.* Addit etiam imprecationes contra seipsum, v. g.: *Puniat me Deus si non ita sit; — non sim christianus, sim fur, sim magus, sim damnatus, moriar subito, hic immobilis permaneam, mihi amputentur aures ambæ*, etc. Similia autem profert aliquando dubius de veritate, imo interdum contra veritatem, v. g. quando merces sunt vitiatæ, aut non tanti venierunt.

HINC:

QUÆR. 1^o *An omnes formulæ sint juratoriam, vel quænam?*

2^o *An CNEIUS peccaverit, et qualiter, jurando juxta veritatem, in dubio de veritate, contra veritatem?*

SOLUTIO:

296. — *R. ad 1^m Quæst.* Nulla ex his variis formulis *per se* est verum juramentum, si excipiatur sequens: *per animam meam*. Ratio est, quia in istis locutionibus Deus non invocatur ut testis, sed hæc tantum *assertive*, seu *narrative* et *enuntiative*, proferuntur.

Dixi *per se*, quia istæ formulæ possent esse juramentum: 1^o ex circumstantiis, v. g. si a te juramentum postularetur; et diceres: *Juro ita esse*, etc.; 2^o ex intentione jurantis qui vellet reapse testimonium divinum invocare.

Dixi, si excipiatur, *per animam meam*; quia in anima singulariter resplendet Deus, qui in testem tunc censetur adduci: fatendum tamen vix esse qui, dum usurpant ea verba, de Deo cogitent; et ideo raro hæc quoque formula juramentum continet. Hoc autem prorsus dicendum de formula *per conscientiam meam, per fidem meam*; quia loquens tantum per hæc significat se loqui ex dictamine conscientiam, se dicere verum, quin Deum invocet in testimonium veritatis; secus vero, si diceret: *per Fidem catholicam*, ut patet. Quid vero si quis dicat: *Quod dico, est verum sicut Evangelium, est instar Fidei?* Neque hæc ut juramentum habenda sunt, sicut locutiones: *Tam verum est quam Deus est*; quia hæc verba potius denotant assimilationem quam invocationem. Loquens enim intendit solum dicere: *Quod dico est verum, sicut aliud verum est suo modo*. Esset autem blasphemia, si intenderet significare tantam esse veritatem secundum æqualitatem, quanta est in Fidei veritate.

Nec obstat quod *CNEIUS* addat imprecationes in seipsum veritatem asserendo, quia illæ imprecationes nullam continent invocationem Sanctissimi Nominis Dei. Quare, si verum dicat, minime peccat; si falsum, peccat, mentiendo, et sibi graviter imprecando. *V. Comp. n. 307 et seq.*

297. — *R. ad 2^m Quæst.* 1^o Si *CNEIUS* vere juraverit, sed juxta veritatem, venialiter peccavit; quia sine judicio, seu absque sufficienti causa, juramentum emisit. Hoc autem communiter veniale peccatum non excedit. 2^o Si juraverit contra veritatem, graviter peccavit, etiamsi in re levi juramentum adhibuerit; quia semper Deo valde injuriosum est, ejus nomen, seu nomen summæ Veritatis, in falsitatis testimonium adducere: in hoc igitur nulla materiæ parvitas admittitur. 3^o Si juraverit, in dubio veritatis, peccavit quoque graviter; quia Deus invocari nequit, nisi in testimonium rei quæ moraliter certa videatur. *V. Comp. ibid.*

CASUS III.

DE JURAMENTO 2^o.

ROMANUS, ludo addictus, sæpius infelicem expertus fuerat successum ludendo, ita ut vix aut ne vix quidem pretium locatæ domus *LUDULPHO*, proprietario, exsolvere posset. Ex clementia *LUDULPHUS* dilationem jam pluries locatario concesserat; tandem erat cum eo severius acturus, et eum e domo expulsurus, cum *ROMANUS*, novam postulans dilationem, juramento promittit se nunquam esse lusurum. *LUDULPHUS*, misericordia motus, locatarii votis annuit, sed et ipse juramento se obstringit ad eum ejiciendum, si iterum luderet. Sed, ecce! data infelici occasione, adhuc pluries ludit *ROMANUS*, secreto tamen. Quod resciscens *LUDULPHUS*, absque misericordia eum expellit, ut proprium juramentum ipse impleat.

HINC:

QUÆR. 1^o *An ROMANUS toties graviter peccaverit, quoties juramentum violaverit?*

2° An LUDULPHUS obligatus fuerit sub gravi ad juramentum suum servandum?

3° An peccaret graviter ille qui juraret dare 20 asses pauperibus diebus sabbaticis, et interdum infidelis foret? vel ille qui jurasset dare 100 fr. in piam causam, et 90 tantum præstaret?

SOLUTIO :

298. — *R. ad 1^m Quæst.* Affirmo, per se, si gravem summam in ludo, exposuerit; quia violat juramenti obligationem in re gravi, et notabiliter impeditur a consequendo fine juramenti quod emissum est, ne pecuniam dilapidaret, et pretio locationis solvendo impotens efficitur.

Dixi per se; quia, si semel vel iterum tantum luserit, et minimam summam in ludo exposuerit, de culpa gravi non accusandus erit. Hinc ad casus similes dirimendos attendendum est tum ad materiæ quantitatem, tum maxime ad finem quem quis jurando sibi proposuit. Itaque, si violatio in re levi fiat, vel leviter finis intentus impediatur, peccatum erit veniale tantum, secus mortale.

299. — *R. ad 2^m Quæst.* LUDULPHUS non tenetur, saltem probabilius, ROMANUM e domo sua expellere, quia 1° juramentum de re indifferente prorsus emisit; 2° quia non ex religione, sed potius ex passionis impulsu juravit; 3° quia, etiam supposita juramenti validate, v. g. si ad corrigendum ROMANUM fuerit emissum serio, non deerit plerumque ratio legitima ex qua locator a sui juramenti adimplerione excusari valeat, v. g. si locatarius veniam petat, si emendatus videatur, si multum sit inde affligendus, si integra ejus familia magnæ miseræ subjicienda sit....., etc. *Elbel*, n. 80.

300. — *R. ad 3^m Quæst.* 1° Probabilius non peccaret graviter ille qui quandoque violaret juramentum pauperibus erogandi 20 asses singulis hebdomadis, quia violationis materia esset levis. Nec dicas gravem injuriam Deo summe veraci irrogari; nam in juramento promissorio, juxta probabiliorem sententiam, Deus non proprie adducitur ut testis futuræ executionis rei promissæ, sed tantum actualis intentionis promissionem exsequendi. *S. Lig. n. 173. Hom. ap. n. 13. — Suarez...*, etc., contra *Collet...*, etc.

2° Idem omnino dicendum videtur in casu in quo quis vovisset dare 100 fr. pauperibus, et 90 tantum dedisset, quia id quod non præstitit, erga integram summam, materiam levem constituit. *V. Comp. n. 313 et seq.*

CASUS IV.

DE JURAMENTO 3°.

REMIGIUS vehementer exoptat matrimonio conjungere filium suum CAROLUM SABINÆ, quia novit eam, ex variis donationibus acceptis divitiis abundare. Hanc suam mentem filio aperit. Verum renuit filius declarans se a nuptiis cum SABINA abhorrrere; potius vero FLAVIAM

SABINÆ sororem, adamare, ex eo quod, licet minus dives, egregia tamen indole, et cæteris dotibus longe præstantior habenda sit. REMIGIUS nihil intentatum relinquit, ut filii animum in suam pertrahat sententiam. Verbis adjicit verbera, suasionibus sævitiam. Tandem CAROLUS, utpote naturæ timidioris, genitori cessit: sponsalia cum SABINA inivit, et emissio etiam quod postulaverat juramento, ea rata habuit. Sed ecce interea pater, repentino morbo correptus, animam efflavit. Filius autem, repudiato SABINÆ matrimonio, FLAVIAM ducere festinat.

HINC :

QUER. 1° An graviter peccaverit CAROLUS, emissum juramentum non servando?

2° An, ante matrimonium cum FLAVIA, obligandus fuerit a Confessario ad nuptias cum SABINA ineundas?

SOLUTIO :

301. — *R. ad 1^m Quæst. Neg.* saltem probabilius cum *Azor, l. 1, c. 11, q. 15; Roncaglia, de Sponsalibus, et aliis contra alios.* Ratio est, quia sponsalia ex metu gravi inita, ex ipso jure irrita sunt: ergo juramento confirmari nequeunt. Primo quidem dico sponsalia ex gravi metu contracta esse prorsus irrita. Etenim tale matrimonium ex tali metu contractum, est irritum Jure canonico, ut certum est: ergo idem dicendum est de sponsalibus, siquidem connexorum idem est judicium. Hinc facile deducitur consequentia, scilicet, irritum quoque esse juramentum. Etenim juramentum firmare non potest contractus quos jus vult irritos ob publicam utilitatem: ergo juramentum extortum in ordine ad contrahendum matrimonium, ipso jure videtur relaxatum. Secus enim quid absurdum sequeretur, scilicet: CAROLUS ad nuptias ob emissum jusjurandum urgeretur; sed, inito conjugio, statim a sponsa discedere posset, quia invalide contraxisset. Quorsum igitur vi juramenti ad matrimonium daretur obligatio, si vi legis illius obligationis finis nullus declaratur? Numquid dari potest obligatio seria, ex religione juramenti, ad actum inutilem, ridiculum, scandalosum? Numquid tali juramento Deus honorari potest?

302. — *R. ad 2^m Quæst. Neg.* Etenim CAROLUS non potest obligari a Confessario ad finem sponsalium servandam, neque ad juramentum servandum, si tum sponsalia, tum juramentum irrita fuerint. Atqui de utroque constat, ut patet ex dictis. Ergo... *V. Comp. n. 314. — Roncaglia, de Sponsal. q. 4.*

CASUS V.

DE ADJURATIONE.

LAURENTIUS, Sacerdos, propria auctoritate, mulierem a dæmone possessam exorcismis Ecclesiæ subjicere tentavit, eidemque interea diversas movit quæstiones, scilicet: a quo tempore esset possessa, quænam esset causa possessionis, an plures in ea essent dæmones, et quot numero, et utrum anima Salomonis esset in inferno vel in celo? Sed infeliciter

exorcismi successerunt, nec ejectus est diabolus, nec interrogationibus interjectis satisfacit. Id vero resciscens Episcopus, infelicem LAURENTIUM a Sacris suspendit.

HINC :

- QUÆR. 1^o Qua auctoritate, et quando fieri debeant exorcismi?
 2^o Quænam quæstiones dæmoni proponi possint?
 3^o An, vel in quibus peccaverit LAURENTIUS?

SOLUTIO :

303. — *R. ad 1^m Quæ.* Exorcismi solemnnes, qui constant ritu et orationibus ab Ecclesia statutis, fieri nequeunt, nisi de licentia expressa Episcopi. Privata autem adjuratio, justa de causa, fieri potest a quocumque Sacerdote; si absque justa causa fiat, erit vana nominis Dei invocatio, ut de juramento dictum est.

R. ad 2^m Quæ. Quæstiones illæ fieri possunt in exorcismis quæ ad dæmonis expulsionem conducunt, v. g. de tempore et causa possessionis, de signo egressus. Nefas autem est quæstiones omnino ad rem impertinentes subjicere, et a fortiori de rebus occultis vel futuris, quasi per divinationem, inquirere. Sacerdos enim potestatem interrogandi dæmonem non habet, saltem practice loquendo, nisi ex Ecclesiæ delegatione, quæ non conceditur nisi in ordine ad dæmonis ejectionem.

304. — *R. ad 3^m Quæ.* 1^o LAURENTIUS graviter peccavit, exorcismos exercendo sine Episcopi delegatione; siquidem lex Ecclesiæ id prohibens gravis est, et ex motivo gravi lata est. 2^o Circa quæstiones dæmoni propositas, dico: tres priores bene fieri potuisse, si LAURENTIUS ad exorcismos solemnnes delegatus fuisset, quia exorcista potest diabolo injungere seu præcipere quidquid ad ejus ejectionem, vel ad ejus opera dissolvenda, conducere potest; porro scire quare, quomodo, quando possessum ingressus est, utile esse potest ad ejus ejectionem. Ergo... Quarta autem interrogatio fuit omnino impertinens ad rem, temeraria, ex curiositate facta, et proinde etiam exorcistæ delegato illicita foret. Attamen dicunt plures Theologi non esse peccatum mortale, unam tantum aut alteram quæstionem ex curiositate diabolo proponere, supposita delegatione ad solemnem adjurationem faciendam. *S. Lig. l. 3, Append. de adjuratione, n. 5.*

CASUS VI.

DE VALORE VOTI 1^o.

LUCIANUS, juvenis consuetudinarius, volens Confessario demonstrare firmum emendationis propositum, eidem in sacro tribunali coram Deo promisit: 1^o se non amplius in illud vitium relapsurum; 2^o si forte in illud reincideret, se die sequenti jejunaturum. Ast ex humana fragilitate factus recidivus, ad Confessarium gemebundus rediit, se accusans quod contra suum votum in idem vitium relapsus sit, nec jejunaverit. Interrogat Confessarius an intenderit verum emittere votum, et an credat se ob pro-

missum non servatum gravius deliquisse? Respondet pœnitens, sibi non constare an voluerit verum facere votum, sed tamen se existimare quod, ratione promissi non servati, gravius peccaverit.

HINC :

- QUÆR. 1^o Quid est votum, et quid ad ejus valorem requiratur?
 2^o An LUCIANUS censeatur verum votum emisisse?

SOLUTIO :

305. — *R. ad 1^m Quæ.* Votum communiter definitur: promissio deliberata Deo facta de bono meliori. Ex ipsa definitione jam patet quid ad valorem voti requiratur, scilicet: 1^o *promissio facta ipsi Deo*, non vero alicui Sancto; 2^o *intentio verum votum emittendi*, id est, se obligandi sub pœna peccati, non vero merum propositum statuendi; 3^o *voluntas deliberata*, id est, qualis requiritur ad perfectum actum humanum, vel ad obligationem suscipiendam; 4^o *de bono meliori, seu de re quæ sit melior ipsa quam non ipsa, vel de actu cujus positio sit in se melior quam omissio.*

306. — *R. ad 2^m Quæ.*, seu an verum votum emissum sit a LUCIANO, vel merum propositum? Solutio difficultatis a sola intentione ipsius LUCIANI repetenda est, scilicet, an intenderit se obligare sub peccato, necne. Si, re perpensa, dubium remaneret, non urgeret obligatio voti, quia non datur obligatio nisi de ea constet. Sed in casu nostro non videtur superesse dubium, cum LUCIANUS putaverit gravius peccasse, in pravam consuetudinem relabendo. Hinc igitur arguitur eum voluisse se obligare sub peccato, et consequenter verum emisisse votum. Secus dicendum esset, si forte LUCIANUS, ut non raro solent personæ minus de his instructæ, existimaret dari peccatum in omissione cujuslibet pii propositi coram Confessario emissi.

CASUS VII.

DE VALORE VOTI 2^o.

GERVASIUS, adolescens, varia emisit vota: 1^o vovit servare castitatem perpetuam, quam putat servatu facilem, sed postea experitur contrarium; 2^o dare 100 fr. pauperibus, quia in duello evasis incolumis, utque e tali periculo alia vice eripiatur; 3^o dare calicem Ecclesiæ quam putabat esse pauperem, sed nunc intelligit eam redditus sufficientes habere; 4^o non edere de capitibus animalium, in honorem S. Joannis Baptistæ decapitati; 5^o nunquam peccare neque mortaliter neque venialiter.

HINC :

- QUÆR. An fuerint valida GERVASII vota in singulis casibus?

SOLUTIO :

307. — *R. In primo casu*: valet votum castitatis, quia error non versatur circa substantiam obligationis; novit enim GERVASIUS qualis